

Compte rendu des séances des États du Brabant

de 1648 à 1682

par Libert de Pape, abbé du Parc, membre des Etats

(Suite *)

18 Augusti, in congregatione D. Cancellarius ⁵⁰⁾ reiteravit propositionem quondam factam (28 martii 1650), quatenus Status ratione abrogationis licentarum vellent imponere quasdam impositiones super certa mercimonia, duraturas tantum donec conflassent summam quindecim centena millia florenorum, etc. et resolutum fuit ut Magistratus seu Burgimastri cum Pensionariis agerent cum precipuis sui loci mercatoribus ad accipiendam informationem quidnam in ea re fieri posset.

Item proposita fuit nova petitio unius extraordinarii subsidii octies centum millium florenorum, et quatenus medietatem ejus, occasione prosperi belli, quam citissime vellent anticipare — sed de eo nihil resolutum fuit, ne forte una petitio alteram turbaret apud plebem, et dictum fuit Cancellario opiniones Civitatum concernentes millionem necdum esse apertas, et in eum finem de novo debere conscribi Status.

Interim movere ceperunt num forte ex hac occasione non possent se redimere a quarteriis militum pro hieme, anticipando bonam summam novi subsidii sub certa conditione de non gravanda Brabantia in hieme cum quarteriis militum ? sed nihil fuit conclusum.

19 Augusti, lectae fuerunt opiniones Civitatum concernentes subsidium millionis in quod concesserunt, sed Antwerpienses condi-

*) *An. Praem.* XXIX (1953), 111-128.

⁵⁰⁾ Voir note 26.

tionaverunt se stare velle in illo, nec amplius contribuere quam centum viginti millia florenorum.

f^o 14^{vo}. — Item lecta fuit acta acceptationis super extraordinaria precaria seu imposta — in qua cum recurreret difficultas Antwerpiensium, resolutum fuit quod suos nummos reciperent in subsidio in posterum concedendo. Eadem die, pro prima vice comparuit in Statibus filius Auditoris generalis Verreijcken, tamquam Baro Bonlez⁵¹⁾, quem baronatum pater eidem cesserat.

12 Septembris et duobus sequentibus quibus non interfui ob indispositionem, ex parte Graffarii etc. Status congregati, ratione hiberni presidii instantis, deputaverunt Pensionarium Antwerpiensem D. Edelheer una cum Graffario, qui vergerent versus Archiducem et exponerent ei quid ex futuro presidio mali causari possit, et quale ipse nobis presidium mittere intenderet, ut desuper ejus intellecta mente, Status viderent quid concilii etc.

27 Septembris, convocati fuerunt Status ex parte Regis, et plerique, intra quos etiam ego, specialibus Archiducis et Cancellarii litteris vocati fuerunt, et Cancellarius iterative requisivit anticipationem 400 millium florenorum per instructionem novam ex parte Archiducis missam, et desuper ut Status responderent, opportune redierant Pensionarius Antwerpiensis et Graffarius, qui ob defectum copiarum seu convoi ad Archiducem pervenire non potuerant et tantum usque Avennes fuerant, qui explicarunt quod Principi jam scripto misissent omne quod super hanc anticipationem dicere possent, scilicet impossibile esse eam facere, eo quod 16 centena millia anticipassent spatii biennii, cui solvendo millio levanda non sufficeret; et Status amplius non habere creditum ad novos nummos

f^o 15. — levandos, unicum autem tantum restare, ut scilicet Archidux spondeat in verbo principis, quod militem in Brabantia non hibernabit, quod si faciat, tum Status a rusticis et parvis civitatibus obtenturos qui faciles omnes contribuent ut a militibus liberi esse possint.

Item D. Cancellarius proposuit petitionem precariarum extraordinariarum quae incipere deberent.

28 Septembris, iterative lecta fuerunt quae Archiduci mittenda forent previe ante consensum super subsidio petito.

Deinde deliberatum fuit num illa scripta premittenda forent

⁵¹⁾ Pierre-Ignace Verreijcken, baron de Bonlez, etc. BUTKENS, o. c., supplém. II, p. 34.

antequam fieret opinio super petito subsidio, et conclusum fuit quod opinio premitteretur ut in ea ponerentur omnia quae dicta scripta continent.

Denique deliberatum fuit quantum consentiretur et quo pede, et major pars inclinata fuit ut integra petitio consentiretur 800 millium cum anticipatione 400 millium, supposito et conditionato et non aliter, quod Brabantia eximeretur a presidio hiberno militum.

30 Septembris ; resumpta fuit questio num consentiendum esset in plenam summam 800 millium, et pluralitas vorum, non obstante contrario advisamento Civitatum, et nostra, habuit quod sic, et sic facilius consenserunt in 800 millia, quam antecessores nostri consenserunt 100 millia.

3 Octobris, lecta fuit opinio duorum primorum Statuum super subsidio et precariis extraordinariis coram Cancellario.

f^o 15^{vo}. — 7 Octobris, Status congregati et per Graffiarium conscripti sunt ratione requestae receptoris Statuum, Jacobi Parijs, qui postulabat ut ejus filius posset in Receptoria servire tamquam adjunctus, et officio vacante, per se serviret, et audito desuper advisamento tertii Status, propter merita parentis concessum est filio, quod postulabat pater, sub hac tamen conditione, quod pater non posset resignare officium suum sine previa permissione Statuum, et quod filius quam diu serviret tamquam adjunctus, non haberet particulare stipendium.

5 Novembris, lectae fuerunt schedulae consensus Civitatum super libello D. Parijs et decretum ut daretur ipsi acta, etc.

Eodem die, resumpta fuit propositio 800 millium Rhenensium, eo quod Princeps deputatis Statuum declarasset se non posse totaliter eximere Brabantiam ab hibernis militum, et argueret Status quod male conditionassent redemptionem presidiorum in subsidio, cum semper distincte desuper solitum esset negotiari, et quia hiberna militum instabant, commisit D. Cancellario et Comiti Isenburg ut desuper cum Statibus tractaret in particulari conventionem, quod et Cancellarius in Statibus declaravit, et decreta fuit congregatio in domo Archiepiscopi, et quolibet Statu deputati fuerunt tres cum hac instructione ut nullo modo permetterent Principi negotiationem redemptionis hibernarum, cum semper Status solerent illam redemptionem recipere sub decurtationem subsidiorum et inde militibus solvere sua necessaria, et in eventum quo Princeps vellet redemptionem hibernorum sibi attrahere et sejungere a subsidio, potius sinerent totam plattam patriam presidari, quam in illud consentire.

f^o 16. — 6 Novembris, deputati nostri hesterni retulerunt raportum quod deduxissent Comitem Isenburg et Cancellarium ad metas non loqui, et reliqua ex dictis in conferentia retulerunt Archiduci qui summe instabat pro fine consensus in subsidium, et si non essent 800 millia, forent sexcenta millia, et simul urgebat responsum super petitione facta in martio preterito de onerandis quibusdam mercibus loco licentiarum, et videbatur aegre ferre quod Status non viderentur ei fidere quoad regimen et bonam disciplinam militum in hibernis, et asserebat quod ipsemet illius curam gereret, et si quae inordinate fierent, ipsi in persona imputarentur. In hac sessione nihil conclusum fuit, sed tantum ordinatum Graffiario ut diceret Cancellario nullam esse opem consensus in onerationem mercium, et simul indicaret ipse Cancellarius Archiduci jam ultra 300 millia anticipata esse super futuro subsidio, quod Archidux videbatur ignorare, et die crastino conarentur ferre consensum supra futuro subsidio.

7 Novembris — quia impossibile erat juxta assertum Archiducis totam Brabantiam eximere ab hibernis militum, immutaverunt consensum pridem datum super petitione 800 millia, et consenserunt 600 millia sub eodem pede levanda quo pridem consenserant, scilicet, partim via preciarum, et partim super impostis cum conditione quod parvae civitates quae paterentur hiberna liberarentur a sua portione solvenda in hoc subsidio, et illa partirentur super tota generalitate.

Item discussum fuit utrum conditionaretur quod milites in parvis civitatibus recluderentur et non possent biletari in appenditiis, et pluralitas tandem conclusit quod non, sed hoc tantum Archiduci recommendaretur.

8 Novembris, lecta fuit duorum primorum Statuum prescripta opinio coram Cancellario, et nihil aliud.

In fine recommendaverunt Prelati Cancellario ut possent obtinere patentes correwaida ⁵²⁾ etc.

f^o 16^{vo}. — Eodem die Prelati ex parte Archiepiscopi in domo sua convocati post meridiem, proposuit eis num adhuc toleranda esset illa oppressio Prelatorum in precariis ordinariis, quod semper subsidia illo pede levarentur, et ipsi ferrent in illis suas taxas et insuper

⁵²⁾ Les abbayes et leurs fermiers étaient obligés de fournir le gîte au prince et à sa suite quand il parcourait ses états... elles devaient s'acquitter d'un certain nombre de corvées par an, d'habitude « corvées de charroi ». POULLET, o. c., t. I, n. 73.

eorum bona contribuerent ut bona secularium, etc. et resolutum fuit quod adhuc ad tempus dissimulandum esset cum Statibus quoad pedem levandi subsidia eo quod non foret apparentia in his temporis circumstantiis, civitates inducendi ut mutarent illum pedem levandi subsidia via preciarum. Sed ex parte Prelatorum lis contestaretur contra pagos qui bona amortizata Prelatorum sic gravant, ac si pro eis Prelati non ferrent taxam particularem — et demandata fuit prosecutio illius fratri Liberto, Abbati Parchensi, cum hac instructione ut primo consultaret cum Amplissimo Stocmans⁵³⁾ et D. Mortel, num esset possibilitas rem illam deducendi ad bonum finem, et quid eis desuper videretur. In hac congregatione abfuerunt RR.DD. Vladderbacensis, S. Bernardi, S. Michaelis, Heijlissemensis et Diligimensis.

Item proponebatur quod contractus ille inter Regem et Auriacum⁵⁴⁾ initus, pro quo anno 1647, in Augusto, Abbates sponderant, esset variatus et novus contractus conclusus, et previderetur quod etiam desuper requirerent sponsionem Abbatum — et resolutum fuit quod amplius non subsignarent, sed econtra requirerent ab Archiduce exonerationem absolutam signaturae jam pridem factae, juxta id quod Abbatibus addixerant.

9 Novembris, in congregatione Statuum in ordinem fuit digesta opinio duorum primorum Statuum super petita operatione mercium ad tantum tempus quoadusque produxisset summam 15 centena milium Renensium : et negaverunt Principi suam petitionem tamquam repugnantem Laeto Introitu et nimis prejudicantem mercaturae.

f° 17. — Anno 1651.

27 Januarii, in congregatione Statuum lectae sunt opiniones Civitatum super impostis. — Item deputati sunt qui Archiducem convenirent exponentes depopulationem silvarum et extorsiones quae ubique fiebant per milites.

28. — Relatio facta fuit responsi Archiducis quod scilicet invigilaret pro bono regimine, et constituisset novum superintendentem justitiae militaris, et unum destinasset ad singula presidia, qui inspiceret et notaret excessus qui fiebant ut remedium adhiberi posset.

Unde Graffiario mandatum fuit ut prefatum superintendentem

⁵³⁾ Pierre Stockmans, conseiller le 27 mars 1643, passa au conseil privé le 12 mai 1663 et mourut le 7 mai 1671. GAILLARD, o. c., p. 359.

⁵⁴⁾ Frédéric, comte de Nassau, prince d'Orange.

justitiae militaris adiret et de statu rei informaret, cum supplica ut quam citissime moderamen adhiberet.

Item ut preconcipheretur nova requesta ad Archiducem, casu quo tempestive remedium non poneretur, et ibi explicaretur obligatio Principis, ratione Laeti Introitus, de administranda unicuique justitia, et quantum patria jam a decennio elapso contribuisset.

30 Januarii, prelecta fuit requesta presentanda Archiduci, et deliberatum num foret consultum adjungere articulum Laeti Introitus, in quo habetur quod subditi liberarentur ab obedientia, quando eis non servaretur justitia, et resolutum fuit quod non, eo quod Aula forte apprehendere posset Status meditari rebellionem et illos in plebe plura spargere, si non vereantur talia ipsi Archiduci immediate dicere.

f^o 17^{vo}. — Item lectae fuerunt epistolae Universitatis et magistratus Lovaniensis recommandantes D. Hembachium ⁵⁵), professorem in Collegio Trilingui, pro obtinenda solita pensione Statuum ejusdem lectionis, quam ante ipsum habuerant Puteanus ⁵⁶), Lipsius ⁵⁷), etc. et addicti ei sunt 400-0-annue.

Item post meridiem Abbates congregati sunt in domo Archiepiscopi Mechliniensis ad deliberandum num bona amortizata liberare possemus a talliis pagorum, in quem finem integram deductionem preparaveram, quam et legi, et eandem omnes approbarunt, et die sequenti conclusum fuit, ut deductionem nostram darem DD. Stockmans, Mortel et Uwens ⁵⁸), ut de meritis causae deliberarent, quid in dicto negotio agendum foret.

31 Januarii, in congregatione Statuum nihil peculiare actum fuit.

Post meridiem pro prefato negotio iterum convenerunt Abbates in domo Archiepiscopi et resolutum ut ante.

Deinde discussum fuit utrum Abbates conjungere se deberent Forestario pro tuendo suo pretenso jure super delicta commissa in grangiis Prelatorum contra dominos temporales loci, et dum aliqui

⁵⁵) Bernard von Heymbach, de Zulpich, appelé à Louvain en 1649, pour succéder à Nicolas Vernulaeus. Le collège de Busleiden ou des Trois Langues fut fondé en 1517, par Jérôme Busleiden, conseiller d'Etat de Charles-Quint. *Analectes. Hist. ecclés. de Belgique*, t. XXI, pp. 211 à 270.

⁵⁶) Erycius Puteanus, professeur de latin au même collège. *It.*, p. 228.

⁵⁷) Juste Lipse, d'Overijsse, professeur de latin aux Trois-Langues. *It.*, p. 225.

⁵⁸) Jacques Uwens, chevalier, seigneur de Berchem-Sainte-Agathe et Woluwe-Saint-Pierre, conseiller au Conseil du Brabant depuis 1643; décédé en 1664. *GAILLARD, o. c.*, t. III, p. 359.

putarent quod sic, explicui ego officium Forestarii et difficultates quae inter ipsum et Abbates ab annis 100 et amplius fuerant, quibus auditis, omnes unanimiter mecum resolverunt quod minime nos conjungere deberemus.

f^o 18. — 27 Martii, relecta fuit epistola Archiducis ad Status Brabantiae pro solvenda summa 12.000-0- Principissae Orangiae ⁵⁹⁾, ad quam ab aliquot diebus deputati responderant, et eorum responsum approbatum fuit, scilicet a Statibus solvi non posse, quamvis deputati premature nimis judicarentur respondisse epistolae ad generales Status directae.

Deinde lecta fuit requesta parvarum civitatum pro obtinenda remissione suae contingentiae in subsidio millionis, et eorum miseria et oppressio diu ventilata fuit et exaggerata, sed inventus non est modus eos consolandi.

28 Martii, propositae sunt impostae sive precaria extraordinaria, quae incipere deberet 1^o Junii.

Et Domino Tuldeno ⁶⁰⁾, qui nomine Cancellarii comparuerat variae difficultates de non debita administratione justitiae expositae sunt, item quod Fiscalis ⁶¹⁾ necdum fecisset suum juramentum de observandis privilegiis et juribus patriae.

Item deliberatum fuit de modo sublevandi minores civitates in subsidio millionis, et cuncti inclinati fuerunt ad illas, et quia modus non inveniebatur illas juvandi nisi per majores civitates, ut illae aliquam partem ipsarum ferrent, ex parte resolutum fuit, ut saltem civitatibus majoribus id proponeretur, ut si forte ad hoc possent induci.

29 Martii, datus est consensus a duobus primis Statibus in impostis pridie propositis.

Item cuique data est copia bullae cum placitatione aulae contra librum Jansenii ⁶²⁾, et deliberatum num non fieret in illis prejudi-

⁵⁹⁾ Amalia von Solms, veuve de Frédéric de Nassau, prince d'Orange.

⁶⁰⁾ Jean van Thulden, conseiller, 30 octobre 1627, décédé en 1665. GAILLARD, o. c., t. III, p. 358.

⁶¹⁾ Léonard de Heere, avocat fiscal le 15 octobre 1647, décédé le 1 mars 1657. *It.*, p. 377.

⁶²⁾ Nous sommes en plein dans la querelle janséniste.

Comme je ne trouve que des éloges au sujet des archevêques et évêques, par exemple dans Van Gestel, Butkens, etc., je suis obligé de recourir à Pirenne, qu'on ne peut cependant suivre à la lettre; je le cite en partie.

L'augustinisme se répandit peu à peu dans le clergé. L'archevêque de Malines,

cium privilegiorum, et quamvis satis demonstraretur quod non equidem ad satisfactionem aliquorum consensum fuit ut res apud aliquos jurisconsultos deliberaretur, et interim prepararetur requesta ad Archiducem, quatenus declararet.

f^o 18^{vo}. — Statibus quod declaraverat Consilio Brabantiae, non esse intentionem Regis in aliquo prejudicare privilegiis.

30 Martii, apertus et lectus fuit consensus duorum Statuum in impostis.

Item relatum fuit advisamentum D. Falconier, van Uffel et Locquet ⁶³), debere rogari Archiducem pro obtinenda declaratione prescripta, et examinatus fuit libellus supplex in dictum finem representandus, et quamvis non omnibus arrideret, equidem dissimularunt et deputaverunt pro adeundo Archiduce Abbatem Flidderbacensem, Baronem Capelle, etc.

Et eis fuit demandatum ut simul recommendarent Archiduci miseriam parvarum civitatum et urgerent restitutionem faciendam per Lotaringos quae abstulerant in expoliatione pagi de Neerlanden.

Item ad recommendationem Ducis Arscotani, duo primi Status consenserunt in naturalisationem unius Guilielmi Clement.

14 Aprilis, lecta fuit acta acceptationis Archiducis super impostis, in qua fuit rejecta conditio de 4 millibus per mensem applicandis solutioni reddituum, contra quam rejectionem Status obmurmurarunt, et ceperunt deliberare, num in sua conditione persistere non deberent.

l'austère Jacques Boonen, et l'évêque de Gand, Antoine Triest, étaient réputés comme des partisans convaincus (sic). Ils refusèrent de publier la bulle lancée contre Jansenius. La plupart des membres du Conseil Privé étaient pro-jansénistes. En mars 1650, malgré les instances de l'Archiduc Léopold, le Conseil Privé avait décidé qu'il n'y avait pas lieu de publier la bulle condamnant l'Augustinus. L'ordre royal de publication, donné le 24 juillet suivant, ne parvint pas à le faire plier. L'archiduc se décida à promulguer la bulle en mars 1651.

Cette fois il fallut obéir. En 1653, le Conseil de Brabant cassait les lettres du pape citant Boonen et Triest, à venir justifier à Rome leur conduite suspecte. L'archiduc Léopold laissa publier par le chapitre de Malines la bulle d'Innocent X.

Triest et Boonen se soumirent enfin et furent relevés de l'interdit « ab ingressu ecclesiae » dont ils avaient été frappés en 1652. PIRENNE, o. c., t. V, pp. 74 sq.

⁶³) Jean-Antoine de Locquet, chevalier, vicomte de Hombeek, seigneur d'Impel, naquit à Bruxelles; il devint conseiller ordinaire en janvier 1658. Charles II lui confia le 28 octobre 1669 la présidence du grand Conseil. Nommé chancelier, il prit possession le 24 septembre 1686, et mourut le 22 mars suivant. GAILLARD, o. c., t. III, p. 341.

Item Archidux, qui ab aliquot diebus per litteras requisiverat 100 currus, per alias litteras posteriores tantum requirebat 70 currus, et deliberatum fuit qua ratione isti prestari possent.

15 Aprilis, prestiterunt consensum in predictis 70 curribus solvendis et impostis.

Item resolverunt urgendum esse de habendis prescriptis 4000 — ex impostis pro solutione reddituum.

f^o 19. — 4 Julii, apertae fuerunt opiniones Civitatum super subsidio 800.000-0 petito in Novembri elapso, et inventum est opiniones non concludere, eo quod Antwerpiensium duo posteriora membra nollent dare consensum nisi edictum prohibitivum pannos externos etc. prohiberetur.

Unde resolutum fuit ut componeretur epistola et requesta ad Archiducem et ei representaretur in quibus periculis patria constitueretur, nisi in hac parte poneretur remedium.

Item ex parte resolutum fuit ut scriberent Archiduci pro manutentia Maieri Lovaniensis, conformiter ad Laetum Introitum, in quo statuitur illud officium cum nonnullis aliis, nulli ad tempus dandum fore sed in perpetuum.

5 Julii, disceptatum tantum fuit ad concordandas opiniones in subsidio 600 millium florenorum, et lecta epistola quae mittenda foret Archiduci, resolutum fuit ut parum poliretur et tempore opportuno mitteretur.

6 Julii, repetitum est quod hesterna die ventilatum fuerat, et disceptatum utrum duo primi Status non deberent declarare an foret sufficiens consensus necne in pecuniis, et Graffiarius dicebat sic consuetum fuisse fieri.

7 Aprilis (sic), iterum disceptatum fuit pro concordandis opinionibus in subsidio, et quoniam Antwerpienses volebant tantum obtinere quantum Bruxellenses, et hi nolebant amplius dare in dicto subsidio quam 51 mille florenos, idque via preciarum, omnino visum fuit ut istam viam mutarent et summam suam augere vellent, et in eum finem deputati fuerunt Abbas Tongerloensis cum Comite de Ursel et Graffiaro ut Magistratui Bruxellensi exponerent statum rei et inducerent ad augendam suam summam in dicto subsidio.

f^o 19^o. — Item lectae sunt opiniones Civitatum super impostis, inter quas ultimum membrum Civitatis Antwerpiensis consensum negabat quamdiu edictum regium prohibitivum pannorum externorum non aboleretur.

13 Octobris, ex parte Archiducis responsum fuit super libello

ex parte Statuum per expressos deputatos Tornaci, 17 Julii, ei presentato quo explicabantur ei difficultates quae erant in conclusione subsidii sexcentorum millium florenorum, et respondit, 1° quod super dicteria ? civitatum Antwerpiensis et Bruxellensis fieret nova instantia, et declaravit acta specialia destinata pro nova instantia, quod in hac temporum conjunctura, Antwerpienses in dicto petito subsidio deberent plenam suam quotam contribuere sine ulla diminutione, et Bruxellenses quotam suam adaugere deberent, et tantum contribuere quantum fert quota Antwerpiensium. 2° se destinaturum commissarios qui terminarent difficultatem quae erat inter Status cum aliquot plattae patriae seu pagorum officialibus. 3° similiter se destinaturus commissarios pro moderatione edicti prohibitivi inductionem extraneorum pannorum. 4° se commissarios destinaturum super transitu navium per civitatem Gandensem.

Deinde, lectis epistolis credentiae ex parte Archiducis, proposuit Vice-Cancellarius ⁶⁴⁾ ut Status consentire vellent quatenus futurae impostae etc. levarentur pro integro anno et per

f° 20. — mensem ad summam 90 millium florenorum ; super qua petitione Status decreverunt non respondere, nisi prius finiretur controversia cum dictis officiariis pagorum, quod et Vice-Cancellario indicarunt. — Denique propter summam patriae necessitatem proposuit novum subsidium duodecies centum millium florenorum, quod Statibus visum fuit valde exoticum, eo quod pro statu patrie nimis esset excessivum, et peteretur antequam aliud subsidium esset plene consensus, tamen curarunt responderi quod desuper facient quod e re regis et patriae erit, salva tamen priori protestatione de finienda prius controversia cum dictis officiariis.

14 Octobris, unice tantum deliberatum fuit de facienda aliqua anticipatione super subsidiis postulatis pro intertentione militum in hibernis ne ponerentur in pagis, et casu quo illa haberi posset, deputati sunt Burgimagistri Lovaniensis et Bruxellensis ⁶⁵⁾, qui una cum graffiaro Archiducem accederent de hibernalibus acturi.

f° 22. — A° 1652.

8 Januarii et aliquot diebus sequentibus, fuit congregatio Statuum cui non interfui.

27 Februarii, iterum congregatione facta, agitabatur de privilegio

⁶⁴⁾ Note 60.

⁶⁵⁾ Gilles-Frédéric de Masselaer, baron de Percq et d'Elewijt, décédé en 1683. *It.*, p. 362. — BUTKENS, o. c., t. II, p. 463.

patriae de non evocando, eo quod Archiepiscopus Mechliniensis cum Episcopo Gandensi a Sede Apostolica Romam evocati essent.

Deinde Vice-Cancellarius urgebat quatenus Status consentirent in impostis et in subsidio 12 centum millium florenorum a tanto jam tempore petitorum et adferebat responsum super difficultatibus a Statibus nuper motis ratione billettationis Campiniae, sed illud non adeo placebat, etc.

28 Februarii, relecta fuit opinio duorum primorum Statuum, quae in januario elapso resoluta fuerat et Aulae exhibita super subsidio 12 centum millium, in qua resolvebatur quod ob nimias extorsiones militum et depopulationem patriae in illam nec in aliquam summam consentire possent.

Item lecta fuit responsio Aulae super difficultatibus in opinione predicta motis, ratione quarum consentire non possent.

Item lectum fuit conceptum rescriptum Statuum quod contra dictam Aulae responsionem replicaretur, in quo allegando plurima privilegia patriae ostendebatur Regem non posse onerare patriae militibus et mandare subditis ut ipsos alimentarent, sine previo consensu patriae.

29 Februarii et 1 Martii, idem responsum magis limatum et delatum fuit una cum responso negativo et non consensu super petitione impostarum.

Item concepta et lecta fuit requesta ex parte Statuum presentanda Consilio Brabantiae in favorem Archiepiscopi Mechliniensis, Romam citati, ne contra privilegia patriae permetterent ipsum evocare, etc.

f^o 22^{vo}. — 2 Martii, coram Vice-Cancellario apertae sunt opiniones Statuum et prescriptum responsum ipsi communicatum, in quo ob billettationem Campiniae et nimiam extorsionem militum negaverunt consensum in impostis, donec milites e Campinia retraherentur, et declararunt esse impossibile consentire in subsidium 12 centum millium florenorum quondam petitem, propter nimiam expilationem patriae per dicta militum hiberna factam, et deputati fuerunt ut die opportuno Archiducem accederent ac prefatum scriptum ipsi communicarent ac statum patriae explicarent : Abbas Parchensis, Comes de Erps, Burgimagister Lovaniensis ⁶⁶⁾ cum Graffario.

14 Martii adfuerant prescripti deputati Archiduci et commissionem suam expleverunt.

⁶⁶⁾ Alphonse de Fusco, seigneur de Merlemont. DIVAEUS, o. c., p. 102.

Ab 11 Martii, rogatus ab Archiepiscopo Mechliniensi, veniens Bruxellam, vacavi in ejus negotiis qui citatus erat Romam, usque ad 16 Martii, et ostendi clare, anno 1478, tempore Ducis Maximiliani, ab ipso Duce, Statibus et aliis, pro privilegio patriae habitum fuisse, quod nullus in primo instanti posset evocari extra patriam ad iudicium, idque docui ex exemplo R. D. Theoderici Tuldel, Abbatis Parchensis, qui Romam citatus fuerat, et tamen non comparuit, et Dux et Status ipsius causam in se susceperant etc.

f° 23. — Quae interim contigerunt illis, non interfui, eo quod essem Hinsbergae ⁶⁷⁾, usque ad

23 Julii, quo die producta fuit acceptatio Principis super impostis, et concessit Statibus ut per singulos menses possent extrahere 4000 florenos pro solutione reddituum, et omissa fuit clausula de non oneranda interim patria, excepto casu extremae necessitatis.

Item producta fuit acceptatio consensus duorum primorum Statuum super subsidio 800 florenorum, et promissum de patria rurali per militem non onerare, nec alio onere intra annum gravare, et casu quo milites ad hiberna venerint, quod ordinem ponent super amputatione arborum et silvarum.

Item rogatum fuit ex parte Principis pro erectione Camerae bipartitae quatenus Status ex precariis annue vellent contribuere 10.000 florenorum.

Item rogatum fuit quatenus pro avertendis pretensis Francis circa partes thenenses, cohortes commendantis in Saint-Lure ? augerentur ad 300 homines, quorum ope dicti Franci possent exterminari.

24 Julii, consultatum fuit super duabus petitionibus prescriptis, et conclusum quod prius deberet exhiberi nobis instructio erigendae Camerae, et quantum aliae provinciae essent contributurae ;

Item quod rusticis deberet dari commissio eliminandi Francos, et simul aliqui milites constituerentur Leeuwis, Navaigne, et Argen-teau.

25 Julii, non obstante quod esset festum S. Jacobi, consultatum fuit super acceptatione Principis in subsidio 800 millium, utrum error commissus in consensu dissimulari deberet, et civitates illam moverent et in contrarium persisterent, aiebam ego quod nos illam movere deberemus, et pluralitas vocum contrarium habuit, unde relictum fuit ut dicta acceptatio simpliciter sine aliqua obmurmuratione a Statibus admitteretur.

⁶⁷⁾ Heinsberg, prévôté de moniales norbertines, près d'Aix-la-Chapelle.

26 Julii, lectae fuerunt opiniones trium Statuum super Camera computus erigenda et eliminandis Francis e Brabantia secundum consultationem, 24 Julii habitam.

f° 23^{vo}. — 12 Septembris, lectae fuerunt opiniones trium Statuum in quibus consentiebant adhuc in anticipationem ducentorum millium florenorum super subsidio octingentorum millium; quibus auditis, ego coram Graffiaro conquerebar quod non interfuissem in deliberationibus previis, eo quod nimis precipitanter fuissent convocati, et quod non fuissent sufficienti numero congregati.

16 Octobris, ex parte Regis per Vice-Cancellarium facta est propositio seu petitio precariae extraordinariae seu impostarum.

Simul ex parte agitatum fuit utrum interpretationem privilegiorum suorum Consilio subijcere deberent —

17 Octobris, datus fuit consensus super impostis a duobus primis Statibus in terminis ordinariis, scilicet die portee. hoc est tantum quantum impostae producent.

Item fuit aliquantulum ventilatum utrum non deberet poni aliqua amenda in illos qui se absentarent a Congregationibus Statuum quando ad illam vocati sunt, eo quod tam frequenter se absentarent, in eum finem produxi ego conventionem Prelatorum super ea re factam, anno 1595.

18 Octobris, nihil actum preterquam quod lecta fuerit opinio duorum Statuum super impostis — et lecta una epistola in favorem Capitanei Rige, missa ex parte Archiducis —

19 Octobris, resolutum fuit quod puncta privilegiorum patriae non deberent submitti examini commissariorum a Principe deputatorum, nec in modum processus illa deberent discuti, sed per remonstrantias Principi immediate deberent exponi, et ille non per sententiam illa deberet dirimere, sed per rationes contrarias —

Item quod sententia data per Consilium Privatum contra Status in favorem Capitanei Rige, nullo modo deberet admitti, tamquam lata a non competenti iudice, sed Status unice posse et debere convenire in Consilio Brabantiae.

f° 24. — 12 Decembris, facta fuit propositio centum viginti millium florenorum, quod Rex petebat pro satisfactione facienda Duci Arscotano super civitate Zevenbergen, ab ipso favore pacis Principi Orangiae cessa, etc. qui alias meditabatur vendere dominia quae Rex illi contulerat via permutationis etc.

13 Decembris, Status inter se concluderunt desuper non posse

respondere priusquam plene consensus esset subsidium 800 millium, eo quod haec petitio novam contineret propositionem novi subsidii.

14 Decembris, Archidux requisivit a Statibus placilias et fouragiae pro militibus in hibernalibus continendis, quod valde durum visum est ipsis, eo quod Princeps secundo assecurasset Status sublevare eos ab omni alio onere, ratione duarum anticipationum, quae conflabant summam 400 millium florenorum ab ipsis Principi datarum.

Item visum est Statibus impossibile invenire summas necessarias pro solutione earundem placiliarum et fourage, propter defectum credentiae, eo quod nullus amplius ipsis vellet dare nummos ad interesse. Unde indicaverunt dictam impossibilitatem Principi exponendam esse, ac in hunc finem deputarunt me, Baronem de Jauche ⁶⁸⁾ et Burgimagistrum Antwerpiensem ⁶⁹⁾ cum Graffiaro.

15 Decembris, intra undecimam et duodecimam exposuit Graffarius Serenissimo Archiduci dictam impossibilitatem, et dicta quarteria hibernalia futura contra ipsius permissionem et ad extremam ruinam patriae, et inter replicandum cum Princeps persisteret hiberna militum averti non posse etc. aiebat Graffarius id futurum contra justitiam, etc. et tandem etiam dicebat : arma tenenti cuncta licent, qui justa negat, ad quod verbum Princeps irascens indignationem animi gestu externo prodebat, et abscedere volebat, unde illico nos recessimus, Principe, non bene contento, relicto.

f° 25. — A° 1653.

7 Januarii, prelecta est acceptatio Principis super impostis sub conditionibus ordinariis. — Item acceptatio Principis super subsidio 400.000 florenorum, quod Status, me absente, 21 Decembris 1652, consenserant pro solutione militum in hibernalibus sub conditione quod 200.000 millia solverentur per anticipationem per ordinarias taxas, post hujus consensus acceptationem, et reliqua 200.000 solverentur post plenarium dicti subsidii consensus, et quod cum dicto subsidio Brabantia maneret libera ab omnibus oneribus etc. Sed ego privatim aliquos reprehendebam hunc consensum importare novum subsidium, illud autem male consentiri, ubi prius petatum subsidium necdum plene esse accordatum.

Item duos primos Status non posse gravare patriam sine consensu

⁶⁸⁾ Guillaume de Coutereau, baron de Jauche, marquis d'Assche, etc. BUTKENS, *o. c.*, supplém. I, p. 162.

⁶⁹⁾ Alexandre Goubau, chevalier, et Grégoire del Platno, chevalier. *It.*, II, 526.

tertii Status, ac proinde male in consensu positum esse quod duo centena millia anticiparentur, post acceptionem hujus consensus.

Item Prelatos male posuisse quod dictum subsidium levaretur per ordinarias taxas, cum hactenus semper dictum modum improbassemus.

4 Februarii, facta congregatione Statuum, Vice-Cancellarius fecit novam instantiam super subsidiis 800 millium, et 400 millium florenorum, quatenus Civitates inferrent suas opiniones et consensum.

Item quatenus Status vellent consentire in contributione 10.000 florenorum per annum pro erectione et intertentione Camerae bipartitae.

Item quatenus vellent consentire in 120 millia florenorum pro revincandis Regi domaniis quae transtulerat Duci Arschothano, et hic vendere intendebat.

Item hodie pro prima vice comparuit in Statibus R. D. Norbertus Cauwerven ⁷⁰⁾, abbas novus S. Michaelis, et mihi tamquam seniori tunc temporis presenti fecit juramentum solitum.

f^o 25^{vo}. — 5 Februarii, prelectae fuerunt aliquot preconceptae ordinationes et leges Camerae bipartitae erigendae.

Et duo primi Status consenserunt contribuere pro intertentione illius 6000 florenorum per annum ex precariis extraordinariis seu impostis, sub conditione quod singulis semestribus desuper consensus deberet renovari, sicuti renovatur pro ipsis precariis extraordinariis, et quod aliae provinciae secundum ratum etiam contribuerent.

6 Februarii, exhibitae fuerunt litterae patentes D. Asseliers ⁷¹⁾, Cancellarii, qui petebat admitti ad juramentum, et disputatum fuit utrum litterae admitti possent, eo quod essent sigillatae in Hispania, et secundum Laetum Introitum deberent sigillari in Brabantia, et pluralitas votorum habebat quod admitti non deberent.

Deinde deputati fuerunt ex unoquoque Statu unus, qui una cum Graffiaro exponerent Archiduci quod promissa Statibus non servarentur, et Lotaringi necdum excessissent Brabantiam, milites alii diversis in locis adhuc haerent in pagis et a presidiariis silvae corrumperentur etc.

7 Februarii, difficultas hesternae repetita fuit, et quia litterae patentes defuncti Cancellarii sigillatae fuerant in Hispania, et idem

⁷⁰⁾ Norbert van Cauwerven, abbé de Saint-Michel d'Anvers, de 1652 à 1661.

⁷¹⁾ Robert Asseliers, chevalier, nommé chancelier le 1 octobre 1651, décédé à Bruxelles, le 28 novembre 1661. GAILLARD, o. c., t. III, p. 341.

dicebatur de litteris defuncti Cancellarii Damant ⁷²⁾, et timebatur quod D. Asseliers exequeretur officium Cancellarii ante prestationem juramenti, si non admitteretur, consenserunt Status quod admitteretur ad juramentum, salvo quod ei inculcaretur quod scriberetur in Hispaniam ne hoc in posterum fieret, et si possibile foret, litterae ejus etiam mutarentur.

[In margine : Asseliers Cancellarius].

Deinde intravit Cancellarius et sedit in sedili seorsim retro Nobiles, et Graffarius nomine Statuum ei congratulatus fuit, et deinde, prelectis punctis et articulis diversis ex Laeto Introitu, prestitit juramentum more ordinario, tangendo S. Evangelia in manibus Archiepiscopi Mechliniensis, quo facto, sedes ejus reposita fuit in capite mensae et tradita sunt ei sigilla Statuum, quae et acceptavit.

Deinde prelectum ei fuit juramentum super

f^o 26. — custodia archivi Brabantiae seu privilegiorum ejus asservatorum in turri Vilvordiensi ⁷³⁾, quod simili modo ut prius prestitit.

Quo facto, Graffarius ex parte Statuum secundum consuetudinem obtulit ei honorarium mille florenorum, quod et acceptavit.

Deinde exhibuit litteras credentiae rogantes expeditionem subsidiariorum etc.

Interim allata fuit copia litterarum patentarum D. Damandt, quondam Cancellarii, et inventum est quod fuissent sigillatae sigillo brabantino, et non sigillo Hispaniae, quod tamen ante Statibus fuerat persuasum, unde omnes unanimi consensu indoluerunt quod dictas litteras D. Asseliers admisissent et excepissent juramentum ejus, et ille respondebat quod in registro Madriti vidisset registratas litteras prescripti D. Damandt, et quod ibidem nullae litterae soleant sigillari, nisi quae ibidem expediuntur, et hinc et etiam Consilium Hispaniae non aliter existimasse, quam quod ibidem expeditae fuissent et quod etiam ibidem expediri deberent, eo quod collatio officii Cancellarii Regi reservata esset, et quod nec vel minimum scrupulum de contrario habuissent, etc.

8 Februarii, lecta fuit opinio duorum primorum Statuum super erectione et contributione facienda Camerae bipartitae.

⁷²⁾ Nicolas Damant, chevalier, vicomte de Bruxelles, seigneur de Boendael, etc. Farnèse le nomma chancelier de Brabant. Damant mourut à Bruxelles le 17 juillet 1616. *It.*, p. 339.

⁷³⁾ La forteresse de Vilvorde fut construite par le duc Wenceslas, en 1375; plus tard elle garda les archives et privilèges du Brabant.

Item petiit admitti ad juramentum D. de Heer ⁷⁴⁾, Consiliarius et Advocatus Fiscalis, et quia recusabat prestare juramentum in qualitate Fiscalis etiam non fuit a Statibus admissus ad juramentum in qualitate Consilarii.

f° 26^{vo}. — 28 Martii, D. Asseliers fecit novam propositionem impostarum, et unius extraordinarii subsidii sex centum millium florenorum, idque faciebat simul et in eadem scheda, unde remissa fuit, et

29 Martii, denuo divisa in duas diversas petitiones remissa fuit, et resolverunt Status non fore difficultatem super impostis, sed inveniri non posse media iterati subsidii exsolvendi, ubi res ita essent debitis et intricatae, et resolutum ut omnes miseriae, debita et status patriae Principi explicarentur, et peteretur conferentia agendi cum deputatis finantiarum et Consilii Status, qui Principi statum simul possent explicare et, cum illatione ut si illi media inveniendi subsidium 600 millium suggerere possent, illud amplecteremur, etc.

31 Martii, duo primi Status consenserunt in precariis extraordinariis sive impostis, idque sub conditionibus solitis, et lectae fuerunt rationes et querimoniae quae exhiberentur Archiduci pro demonstratione impossibilitatis solvendi aut inveniendi subsidium sexcentum millium florenorum, et conclusum ut illud scriptum simul exhiberetur cum consensu super impostis.

1 Aprilis, coram Cancellario lecta fuit opinio duorum primorum Statuum super concessione seu consensu impostarum; item duo scripta demonstrantia oppressiones patriae et impossibilitatem solvendi seu consentiendi in subsidium 600 millium florenorum.

2 Aprilis, adhuc lectae fuerunt quaedam querimoniae et specificationes onerum et restantiarum in quibus adhuc obligabatur patria, et ostensum quod debita Statuum ascenderent ad novies centena et 78 millia florenorum, de quibus solverent interesse.

f° 27. — Item deliberatum fuit de transmittendis decem millibus florenis D. legato De Brun ⁷⁵⁾, agenti apud Hollandos, qui aliquoties illam summam ex majori, ut aiebat debitam, exigerat pro complendis conditionibus pacis, verum resolutum fuit ut ei scriberetur quod Status nescirent de aliqua particulari obligatione alicujus, et quod si ille obligationem illam haberet, copiam illius transmitteret, qua visa deliberarent, etc.

⁷⁴⁾ Voir note 61.

⁷⁵⁾ Adolphe Brun, diplomate franc-comtois.

16 Aprilis, a Cancellario apportata est acta acceptationis super impostis, sed quia una conditio consensus duorum primorum Statuum super administranda justitia Statibus in causa Capitanei Rige etc. non erat adimpleta, resolutum fuit illam actam acceptationis non placere, nec sufficere, adeoque super dicta puncta faciendum esse remonstrantiam Archiduci, etc.

Item Cancellarius fecit novam instantiam pro subsidio 600 millium florenorum, quatenus Status in illo vellent consentire.

17 Aprilis, consultatum fuit de facienda aliqua renumeratione sive heertellinge, et D. Edelheer, Pensionarius Antwerpiensis desuper fecit magnum discursum quando, quomodo et qualiter istae renumerationes olim factae et tentatae fuissent, et tandem conclusum fuit, quod quidem optandum esset ut aliqua remuneratio fieret et equalitas poneretur in taxis pagorum etc., verum tamen modo illam non posse fieri, eo quod antequam absoluta foret, etiam nova iterum facienda esset.

18 Aprilis, consultatum fuit utrum petitum subsidium 600 millium florenorum inveniri non posset, levando redditus super hypoteca impostarum quarum pars posset valorisari, id est semel et simul consentiri pro tanto tempore donec redditus levati, dequitati essent, etc. sed nihil fuit adhuc resolutum.

f^o 27^{ro}. — 19 Aprilis, fuit consultatum quanta summa Principi accordaretur, et pluralitas votorum videbatur concludere de donandis 400 aut 500 millibus florenis.

Item quia officarii quarterii Antwerpiensis retulerant Statibus quod Princeps de Ligne ⁷⁶⁾ requireret ab ipsis certos equos, quos tamen ei non promiserant, et minaretur eis quod si ultra non solverent illos, quod stipatus militari manu ipse eos requireret, resolutum fuit ut Graffiarius eum accederet et exponeret hoc non posse fieri sine infractione privilegiorum patriae, unde Status coactos esse illi obsistere, et quod si non desisteret, Archiduci queremoniis exponerent, etc.

20 fuit Dominica.

21. — In Statibus resolutum fuit per duos primos Status quod donarentur Principi 500 millia florenorum, sed cum patria ita foret exhausta, ut media promptae pecuniae inveniri non possent, resolutum fuit ut levarentur ad redditus sub hypoteca impostarum et

⁷⁶⁾ Claude-Lamoral, prince de Ligne; il devint vice-roi de Sicile en 1670 et mourut en 1679.

interesse a Principe portaratur, sive ab annuis impostis defalcaretur, et insuper annue ab impostis retinerentur 10 millia florenorum, quibus paulatim nummi capitales refunderentur et impostae exonerarentur.

[In margine : reditus creati supper impostas vini].

22 Aprilis, lectus fuit preconceptus sive projectum prescripti consensus et parumper delatum.

23 Aprilis, comparuit Cancellarius et prescriptus consensus coram Cancellario publicatus fuit.

Deinde, me absente, a Cancellario allata fuit acta acceptationis cum verbali promissione adimplendi omnes conditiones appositae, eo quod omnes tam cito adimpleri non possent, et nonnullae actualiter adimpletae sunt.

15 Maii et sequentibus, ex parte Principis ad singulos capitales civitates peculiares commissarii fuerunt missi

f^o 28. — pro accelerando eorum consensu.

19 Maii, in congregatione Statuum verbaliter tantum relatum fuit Lovanienses et Bruxellenses tulisse consensum.

Dux vero Arschothanus, qui una cum Comite de Ursel destinatus fuerat Antwerpiam, retulit Consules cum duobus primis membris consensisse, duo membra vero posteriora consensisse quidem in summam, sed nullo modo levandam medio suggesto a duobus primis statibus, asserentes se ab illis leges accipere nolle, etc. addiditque valde superbe locutos fuisse, se inter illos aliquos esse mutinatores, et ostendit satis passiunculam aliquam adversus illos se habere.

De reliquo, quia Civitates non attulerant suas opiniones, et Consul nec Pensionarius Antwerpiensis advenerant, nihil preterea actum fuit in causis Statuum, nisi quod Cancellario propositum fuerit, ut remedium poneretur super interdicto, frivole illato Archiepiscopo Mechliniensi et Episcopo Gandensi ⁷⁷⁾, quod respondit Cancellarius brevi futurum, nec Consilium ullo modo rem illam sic ibi relicturum.

Item hoc die comparuit et prestitit iuramentum junior Marchio de Jauche ⁷⁸⁾, cujus parens a mense jam obierat.

20 Maii, lectae fuerunt opiniones trium civitatum super prescripto subsidio, et omnes se conformarunt cum opinione duorum primorum

⁷⁷⁾ Antoine Triest, évêque de Bruges de 1617 à 1622, puis évêque de Gand, de 1622 à 1657; il refusa de publier la bulle condamnant l'*Augustinus* de Jansenius; suspens de ce chef par Innocent X, il se soumit en 1653. Cfr note 62.

⁷⁸⁾ Il n'y a pas de marquis de Jauche. Le baron de Jauche fut créé marquis d'Assche en 1663. BUTKENS, o. c., supplém. I, p. 162.

Statuum, exceptis duobus ultimis membris civitatis Antwerpiensis, qui quodem accordarunt summam ipsam sed noluerunt consentire in medio a duobus primis Statibus suggesto.

Unde deliberatum fuit utrum declarari posset quod illa duo membra forent comprehensibilia, an non ? et quamvis exempla allegarentur pro parte affirmativa, tamen conclusum fuit ut diceretur, quod non esset

f^o 28^o. — sufficiens consensus, et proinde opus esset nova instantia. — Post meridiem, hora quinta, coram Cancellario prescripta exposita sunt et opiniones lectae, etc.

14 Junii, ex parte deputatorum per Graffiarium fuerunt Status conscripti, et plures comparuerunt, etiam ego, sed nihil propositum fuit, multo minus resolutum, et Graffarius causabat absentiam Cancellarii, qui iverat Antwerpiam pro revocando magistratu.

20 Junii, in domo Baronis de Hoboken ⁷⁹⁾, facta congregatione Statuum, deliberatum fuit de levandis pecuniis ad reditum super impostis ad nummum 14, et utrum pecuniae a Duce Lotaringiae ⁸⁰⁾ ad illum nummum presentate acceptarentur necne, inter deliberandum Archidux evocavit aliquos ex nostris quibus commendabat accelerationem, et ut opportuniora media exquirent, aliquam saltem summam habendi ; — resolutum autem fuit ut thesaurarius mitteretur Antwerpiam et tentaret aliquam summam invenire.

21 Junii, in domo civica post diversas conferentias fuit resolutum ut supplicaretur Cancellario pro executione sententiae latae contra indebitam affixionem romanam etc. factam ad valvas ecclesiae S. Gudulae, qua Archiepiscopus Mechliniensis suspendebatur ab usu Pontificalium et interdicebatur ingressus ecclesiae ;

Itaque, comparente Cancellario, hoc ipsum primo expositum fuit, qui addixit se id facturum.

Deinde lectae et apertae fuerunt opiniones tertii Status super consensu impostarum pro medio anno, inter quas tertium membrum seu natio civitatis Antwerpiensis protestabatur se non posse consentire, eo quod non satisfaceret Statibus de depositione telonii super pannum et lupulum, et quod non possent involvi, seu « vervangen worden » citra suum consensum in consensu aliorum, atque quod nullo modo hoc vellent intelligere neque etiam concedere quod Ant-

⁷⁹⁾ Voir note 21 ; il s'agit du comte d'Ursel.

⁸⁰⁾ Charles IV, duc de Lorraine, règne de 1625 à 1675.

werpiae forent 4 membra, sed solummodo tria, et antiquos scabinos non esse de magistratu, sed

f^o 29. — tantum habere votum deliberativum et persuasivum, non autem decisivum, et minabantur quod si Status in posterum ad eos scribendo nominarent 4 membra, scriptis non responderent, etc.

Deinde deliberatum fuit qua via invenirentur pecuniae ad reditum super subsidio concessio, etc. et resolutum fuit ut conciperetur formula, secundum quam accipi possent pecuniae a Duce Lotaringiae, etc.

Post meridiem, hora quarta iterum congregatio facta fuit ad consultandum super prementionata formula etc. sed non interfui.

22 Junii, quae erat dominica, iterum congregatio facta est, et Pensionarius Bruxellensis, loco Graffarii, retulit se adfuisse Archiduci et comiti Fuentsaldania ⁸¹⁾, eique exhibuisse duplicatum dictae formulae, et simul adfuisse Thesaurarium finantiarum, qui dicebat Ducem Lotaringiae tractare velle cum Rege, et Status tantum habere velle in retro pignus, quod valde gratum fuit Statibus, et inter se aiebant, quod hoc mallent et potius desiderarent solvere sub assignatione Regis, quam sub apochis Lotaringi, et quod interim adlaborarent per creationem aliorum reddituum, summam quam Lotaringus funderet, refundere.

25 Junii, resolutum et acceptatum fuit quod Dux Lotaringiae tractaret cum Rege, hoc pede quod Regii a Duce emerent reditum 25 millium florenorum annue, et eidem pro hipoteca assignarent civitatem Atensem, et Status ex prementionato subsidio per assignationem finantiarum solverent ad nummum 16 reditum 22 millium florenorum.

Item lecta fuit acta acceptationis super opinionibus Civitatum in subsidio prementionato 500 millium florenorum, « ende die twee leste leden van Antwerpen zijn vervangen ».

Item Cancellarius petiit consensum Statuum pro dividendis

⁸¹⁾ Le comte de Fuensaldaña fut donné comme lieutenant à l'archiduc Léopold : ils devaient de commun accord préparer l'envahissement de la France. Ce projet se dissipa en fumée. L'armée espagnole, déjà si maltraitée à Rocroi, était taillée en pièces par Condé sous les murs de Lens et rejetée sur la frontière. Il faudra dix ans de guerre pour contraindre l'Espagne à déposer les armes. A la campagne suivante, en 1652, Fuensaldaña força le maréchal d'Estrades à capituler dans Dunkerque; en 1655, il tomba en disgrâce et fut rappelé par le Roi. PIRENNE, o. c., t. V, pp. 8 sq.

adhuc aliquot domaniis ; sed responsum fuit quod Status in eum finem deberent conscribi.

f^o 29^{vo}. — 30 Junii non interfui ; fuit autem a Cancellario petitus consensus dividendi adhuc aliquot dominia Regis.

1 Julii — lecta requesta in Consilio Brabantiae presentata cujusdam Leodiensis, qui requirebat brabantisari, responsum fuit, quod non recta via petiisset, et requesta immediate presentari deberet Statibus, quo facto consultaretur.

Item resolutum, quod postquam Dux Lotaringiae cum financiariis accordasset nummo 14, etc. quod Status solum solverent interesse ad ratam nummi 16, sed quod reliquum alio titulo etiam financiariis exsolverent et sic in effectu portarent interesse ad ratam nummi decimi quarti.

Item lecta fuit requesta a statibus presentanda Principi de non evocando, et defendendo Archiepiscopo, et cum quaedam congregatio episcoporum desuper inita esset, declararunt, quod illorum decisioni acquiescere nec vellent nec deberent, eo quo ipsorum non esset discutere aut examinare privilegia Brabantiae.

19 Augusti, facta est nova instantia pro habendis centum viginti millibus florenis ad exonerandum districtum de Zevenbergen, in complementum conditionum pacis.

Item apertae et lectae fuerunt opiniones Civitatum super subsidio 800 millium florenorum, in quod consenserunt civitates Lovaniensis et Bruxellensis, sed illa volebat exsolvi pede precariarum, et alia per impositionem super caminis, et redditus vitales, civitates vero Antwerpiensis magistratus consensit, sed tertium membrum consentire noluit propter nova onera quae mercaturae semper imponebantur contra privilegia patriae.

Deinde de dictis difficultatibus plures discursus habiti sunt sed nihil conclusum.

20 Augusti, post longos discursus resolutum fuit 1^o quod non possent consentire in summa centum viginti millium florenorum pro Duce Arscotano, etc. propter impossibilitatem mediorum ;

f^o 30. — 2^o resolutum fuit non esse consensum adhuc in subsidio 800 millium florenorum, et edocendum esse Principem quare ab Antwerpiensibus non daretur consensus, et inducendum esse ad amovenda illa impedimenta, in quem finem deputati fuerunt R. Abbas S. Michaelis et Baro de Capelle cum Graffario.

21 Augusti, dicti deputati fecerunt Statibus relationem Principem addixisse omnem favorem ad amovenda dicta impedimenta, et egisse

Statibus gratias de appreciatione felicis itineris et prosperitatis, etc. quia hodie discedebat ad campum.

Deinde ad longum actitatum fuit negotium juris Belgici de non evocando et de placeto, et resolutum ut nova requesta peteretur a Principe cursus justitiae et Consilium Brabantiae publicaret et pronuntiaret sententiam, quam ratione Archiepiscopi per affixam actam suspensi conceperant, etc. et passim omnes qui negotium intelligebant fatebantur episcopum multipliciter peccasse in publicatione bullae Urbani VIII prohibentis Jansenium.

Post meridiem, iterum facta est congregatio Statuum, et coram Cancellario lectae opiniones quod non esset consensus in subsidio 800 millium, et quod consentire non possent in petitione pro Duce Arscotano; et resumpta postmodum colloquutione super jure de non evocando, et peterentur opiniones Civitatum, Burgimagister Antwerpensis, nomine Goubau, aiebat in illo puncto se opinari non posse sine previa facta relatione ad magistratum, et sibi prohibitum esse in dicta materia loqui, in qua responsione valde ab omnibus reprehensus fuit et correptus, et quod non deberet petere licentiam aut commissionem ad defendenda privilegia et jura patriae, sed tali commissione instructum accedere debere, aliter nullo modo audiendum et admittendum esse,

f^o 30^{vo}. — et in probationem illius legebatur instructio Bruxellensium quod eorum deputati cuncta possent, quae non saperent aliquod onus contributionis, etc.

13 Octobris, in congregatione propositum fuit et petatum subsidium extraordinarium centum viginti florenorum per mensem pro intertinendo milite in hibernis, etc.

Item petitae impostae pro medio anno.

Item facta nova instantia pro complemento subsidii 800 millium florenorum. Et consultatum fuit super privilegio de non vendendis officiis.

Diebus sequentibus continuatae fuerunt congregationes, sed non interfui eo quod reverti debebam Lovanium.

f^o 31. — A^o 1654.

5 Februarii, in congregatione Statuum per Cancellarium petatum fuit novum subsidium octingentorum millium florenorum.

Unde Status mirati fuerunt, eo quod jam spatio 15 mensium consensissent tria subsidia ascendentia ad tredecim centena millia florenorum, et hoc futurum esset quartum, etc.

6 Februarii, consultatum fuit de mediis quibus posset satisfieri saltem ex parte prescriptae petitioni.

Item Cancellarius attulit actam acceptionis super subsidio 800 millium florenorum ab anno cum medio petito, in qua mittebantur Bruxellensibus variae decurtationes sive quotae, et Antwerpiensibus quod tantum contribuerent suam quotam ad eum modum quo fecerant anno 1646, scilicet conformiter et proportionate ad civitatem Bruxellensem, contra quas clausulas duo primi Status obmurmurabant.

7 Februarii, consultatum fuit ut die precedenti : item utrum ad congregationem Statuum admittendus esset D. Steenhuijse ⁸²⁾, quem Rex creaverat Baronem de Poudeler, ratio dubitandi erat, quia erat Consiliarius Secreti Consilii, et resolutum fuit ut reviderentur registra, quod olim in simili causa actum fuisset.

Item prestitit Statibus juramentum D. Ovinus ⁸³⁾ junior eo quod jam in Consilio Brabantiae haberet vocem decisivam, qui cum jam triennio consiliarius fuerat sine voce decisiva, propter nimiam juventutem.

9 Februarii, item consultatum fuit de mediis quibus solvi posset subsidium petatum ; item petebantur currus pro vehendis munitionibus, etc. Namurcum.

10 Februarii, consenserunt in certum numerum curruum fini quo supra.

Item duo primi Status resolverunt dare pro subsidio 400.000 florenorum, idque levando redditus super novo vectigali imponendi super vina in amam, scilicet 24 stuferos, sub conditione quod si dicta hypoteca

f° 31^{vo}. — haberi non posset, non plus daretur quam acciperetur, etc.

8 Aprilis, relatum fuit a Graffario, D. Steenhuijse, ut Baronem de Poudeler nuper admissum fuisse ad juramentum, ea conditione quod non posset interesse consultationibus neque dare suffragia, eo quod esset de Consilio privato, etc. nunc autem illum pretendere interesse etiam consultationibus et dare suffragia, etc. desuper una-

⁸²⁾ Philippe-Guillaume Steenhuijs, baron de Poderlé, seigneur de Flers et de Moerbeek, né à Malines; chancelier le 28 novembre 1661; il mourut le 1 mai 1668. GAILLARD, o. c., t. III, p. 341.

⁸³⁾ Laurent de Hovines, chevalier, seigneur de Steenkerke; conseiller le 20 février 1652, membre du Conseil privé le 26 juin 1655 et du Conseil d'Etat en 1684. *It.*, p. 360.

nimi consensu resolutum standum priori resolutioni, presertim cum tunc illi consenserit.

Eodem die petita fuit continuatio precariae extraordinariae.

Item lecta acta acceptationis super consensu prescripti subsidii 400 millium florenorum, et petebatur bis centum millia prompte anticiparent, etc.

9 Aprilis, resolverunt duo primi Status persistendum esse in nuper capta resolutione quod in dicto vectigali super vina imponendo, nullus deberet esse liber vel immunis.

Item consenserunt in precariis extraordinariis pro uno medio anno, sub conditionibus ordinariis.

Item, pro prima vice comparuit in Statibus R. D. Garesta ⁸⁴⁾, abbas Vladderbacensis et prestitit suum juramentum, etc.

Item lectae fuerunt diversae requestae diversorum super diversis gravaminibus patriae quae a militibus inferebantur, et resolutum ut illae ex parte Statuum representarentur Archiduci.

[In margine : Land-tol].

Item resolutum fuit ut Status assumerent litem contra Thelonarium super de Landt tol, qui illum pretendebat super omnibus transvectionibus bonorum, ita ut quotiescumque de loco uno ad alium transveherentur vectigal illud solvere deberet, vel si ab illo exempti essent, schedam desuper petere deberent, quam servitutem Status indicarunt injustam et iniquam, neque tolerandam.

f^o 32. — 29 Aprilis. Cancellarius attulit actam acceptationis super impostas, et petiit pro tertia vice anticipationem bis centum mille florenorum. Deinde D. Steenhuijse conquerebatur quod Status resolvissent quod, tamquam Baro de Pouderle, quidem posset interesse Statibus in auditione propositionum, non tamen posset interesse deliberationibus ; addebatque ostendi non posse exemplum quo hoc alicui consiliario Secreti Consilii contigisset, quidem bene aliquos in Statibus non comparuisse, nullum tamen positive exclusum fuisse, et quia hoc videbatur prejudicium posse generare aliis, protestabatur se non intendere consentire ut a sua persona hoc inciperetur.

Status responderunt ei se desuper deliberaturos et resolverunt inhaerendum primae resolutioni, nec illam mutandam presertim cum primitus illam acceptasset, etc.

30 Aprilis, resolutum fuit anticipationem bis centum mille florenorum impossibilem esse super hypoteca ultimi subsidii eo quod illa

⁸⁴⁾ Robert de Garesta, abbé de Vlierbeek, de 1653 à 1680.

talis naturae non esset qualis via est ordinariae precariae, etc. adeoque aulae indicandum ut hypoteca illa per consensum tertii Status firmetur, et tunc daturos nos omnia quae invenientur possibilia.

[In margine : Survivantia data filio Receptoris van Ven, Lovaniensis].

Post meridiem Status iterum congregati, intellexerunt Receptorem vanden Ven sub suo creditu anticipaturum quadraginta millia florenorum, si ejus filio dare vellent adjudantiam et survivantiam Receptoriae in quarterio Lovaniensi, quod Status annuerunt, et quia illa summa sufficere non poterat pro necessitate patriae, rogatus est primus Status ut quotas suas quas debebant in duobus subsidiis singulis quatuor centum millium florenorum, quae necdum plene consensa erant, anticipare vellent, et sic efficere possent et anticipare centum millia florenorum, in quam petitionem primus Status consensit.

f^o 32^{vo}. — 11 Maii, duo primi Status contulerunt adjudantiam Receptoriae Lovaniensis filio Receptoris vanden Ven.

12 Maii, comparuit Cancellarius, attulit actam acceptationis super dicta anticipatione 100 millium florenorum, et petiit de novo ut Status suam fidem obligare vellent mercatoribus ammunitionum pro aliis 100 millibus, — acta acceptationis non placuit, et super nova petitione nihil resolutum fuit.

13. — Nihil peculiare in Statibus actum.

Post meridiem, Abbates presentes in domo Archiepiscopi convenerunt, ratione obligationis quam anno 1647 dederant principi Orangiae de sollicitando effectu contractus initi inter Regem et principem Orangiae, qui cum necdum impletus esset, agentes principis Orangiae insinuerant Archiepiscopo se premi, et nisi contractus ille impleretur, se sibi providere debere, scilicet, requirendo ab Abbatibus qui signaverant, etc. Nihil resolutum fuit, nisi quod in Statibus primus Status negaret subsidia donec liberati essent a sua sponsione.

27 Maii, iterum rogata fuit anticipatio aliorum 100 millium florenorum, et desuper consultatum fuit, sed nihil conclusum.

Item rogaverunt Abbates ut in facienda anticipatione suarum taxarum in addicta anticipatione 100 millium florenorum, etiam vellent supplere seu anticipare taxas illorum monasteriorum quae verosimiliter anticipare non poterunt, et desuper Prelati petierunt recessum et voluerunt loqui Archiepiscopo, qui a congregatione aberat.

Desuper accesserunt Archiepiscopum post meridiem Abbates Grimbergensis, Parck, Tongerlo et Heijlissem, et resolverunt quod

tantum anticiparent proprias suas quotas, non autem pro aliis, et quod necessario in his deberent subtrahi excessus summarum quas anno 1652 anticipaverant, etc.

f° 33. — 28 Maii, facta relatione in Statibus quod Archiepiscopus nullo modo vellet anticipare, nisi subserviret illis excessus prioris factae anticipationis, notabilis altercatio inter Abbates et Nobiles facta fuit, tandem Grimbergensis et Tongerloensis consenserunt anticipationem facere sine respectu ad anticipationem anno 1652 factam, et cum ego longo tempore in contrarium persisterem, tandem fatigatus aliorum instantiis, tandem hoc ipsum etiam consensi pro mea particulari persona, cum protestatione quod nullo modo vellem gravare alios confratres meos de primo Statu.

29 Maii, consenserunt in alteram anticipationem aliorum 100 mille florenorum ; et post meridiem comparuit Cancellarius, et aperuerunt seu prelegerunt ei consensum predictum.

16 Julii, Cancellarius proposuit petitionem novi subsidii 300 millium florenorum pro supportandis oneribus obsidionis et expeditionis oppidi Atrebatensis ⁸⁵⁾, et pridem jam ab Archiduce Statibus fuerunt destinatae litterae pro habendis bis mille electis seu peditibus ad muniendas circumvallationes dicti oppidi.

Eodem die post meridiem iterum desuper Status fuerunt congregati.

17. — Resolverunt dare pedites bis mille electos, connumerando 500 fossores, qui jam pridem e walonica Brabantia submissi erant.

Subsidium 300 millium florenorum consentire non potuerunt propter moralem impossibilitatem dictos nummos in his temporis circumstantiis inveniendis.

18 Augusti, facta est per Cancellarium nova instantia pro dicto subsidio 300 millium florenorum pro oneribus obsidionis civitatis Atrebatensis.

Item relatae fuerunt opiniones ultimi membri Antwerpiensium super subsidiis duobus, singulis de 400 millibus florenis, et quia nequaquam se volebant conformare, ad longum coram Cancellario actitatum fuit, utrum non essent « vervancbaer », et aiebat Cancellarius quod super hoc puncto ipsis infra triduum citasset, ut si quae argumenta haberent ad ostendendum quod non esset

⁸⁵⁾ Le prince de Condé se porta sur Arras avec les Espagnols. Mais Turenne les obligea à lâcher pied. Tout ce que Condé put faire, c'est de protéger la retraite (août 1654). PIRENNE, o. c., t. V, p. 11.

f^o 33^{vo}. — « vervancbaer » illa allegarent ; super quo dicti Antwerpienses seu dictum membrum respondit, quod desuper respondere non possent sine previa communicatione cum Bruxellensibus et Lovaniensibus, tamquam tertium Statum representantibus, quibus hoc negotium concerneret, et dicebantur deputasse duodecim personas qui cum illis agerent, verum quia haec sapiebant, vel tendebant ad seditionem, invigilatum fuit ut si qui mitterentur desuper invigilaretur et illa conferentia impediretur — quae hucusque necdum inchoata fuerat.

19 Augusti, post longos discursus, resolutum fuit nihil posse resolvi super petitione prescripta aut nova instantia, sed preterita subsidia compleri debere, et eam faciendam esse diligentiam circa tertium membrum Antwerpiensium per ministros aulae, qualem ipsi invenirent aut estimarent convenientiorem, quem suo consensui addiderant, scilicet : si tertius Status sequeretur, etc.

20 Augusti, Fuerunt apertae opiniones Civitatum super duobus subsidiis, unumquodque 400 millium florenorum, et quia tertium membrum civitatis Antwerpiensis nolebat consentire, valde graviter discussum fuit qua vice exequeretur « de vervanchelijkheid », ad evitandas seditiones et rebelliones civium quae ex dicta executione, si in rigore et virga ferrea fieret, sequi posset, et resolutum fuit ut primo omnia suaviora media applicarentur, et dictum Cancellario quod executio ad Status non pertineret sed ad Regem, proinde ipse in Consilio Status et Finantiarum serio deliberaret qualiter sine lesione reipublicae aut seditione civitatis, hoc fieri posset.

f^o 34. — 7 Septembris, facta petitione extraordinarii subsidii, ex eo quod nostri milites ante Atrebatum essent depulsi, et miles francus immineret patriae, 800 millium florenorum, Status consenserunt 500 millia, et 100 millia prompte anticiparent, et alia 100 millia in credito suo acciperent, reliqua 300 millia servarent pro hiemalibus quarteriis. Desuper venerat acta acceptationis in forma, quam sub pretextu ficto repetierunt illi qui eam dederant, et novam instantiam fecerunt ut omnia 800 millia consentirentur cum prompta anticipatione 400 millium.

1-2 et 3 Octobris, Status desuper congregati, hoc recusarunt et perstiterunt in opinione nuper data, ex eo quod patria magis esset impossibilitata per incursum Francorum usque Binchium quod spoliassent, et hinc tam per Francos quam nostros tota Brabantia wallonica esset vastata, etc. et opinio duorum primorum Statuum Can-

cellario fuit lecta simul cum consensu in impostis incipiendis 1^o decembris 1654.

5 Novembris, facta fuit iterata nova instantia super subsidio 800 millium florenorum 7^o septembris petito, ut scilicet, Status totam summam consentirent, 400 millia inde anticiparent, et reliqua pro solvendis hibernalibus reservarent.

Item deliberatum an Episcopus Antwerpiensis ⁸⁶⁾ admittendus esset ad congregationem Statuum, eo quod jam esset unus distinctus Abbas S. Bernardi, et simul non deberent convenire ut pro iisdem bonis abbatiæ S. Bernardi loquerentur, et pro aliis bonis defendendis Status intrare non posset, sed quoniam Episcopus Silveducis ⁸⁷⁾ simul intraverat Status cum Abbate Tongerloensi, non invenerunt quomodo Episcopum Antwerpiensem recusare possent.

[In margine : Qualiter admittendus episcopus Antwerpiensis].

Ea propter resolutum illum admittendum esse, sed ei primo privatim, deinde in ipsa congregatione Statuum intimandum ei esse, quod alio titulo non admitteretur quam ut partialiter loqueretur pro bonis abbatiæ S. Bernardi, quarum partem tenebat.

f^o 34^{vo}. — 6 Novembris, tertius Status exhibuit duobus primis Statibus edictum regium, quo iterum imponebantur licentiae super commercia, quod infra sex dies jubebantur publicare, et petebant utrum deberent publicare, necne ? Resolutum fuit Principi seu Archiduci exponendum illam impositionem esse contra Laetum Introitum, et per consequens contra juramentum nostrum nos facturos si apud Archiducem desuper non interveniremus et exponeremus quae mala possint oriri ex publicatione dicti edicti, tamen non daretur ipsi in scriptis sed tantum verbotenus ei diceretur, ne forte scriptum veniret ad manus plebeorum, et inde forte in malis quae moliri vellent, stabilirentur, etc. et in eum finem deputati sunt RR.DD. Abbas Vladderbacensis, et Gemblacensis ⁸⁸⁾, et tres burgimagistri tertii Status una cum Graffiario.

⁸⁶⁾ Marius Ambroise Capello, des Frères Prêcheurs; désigné par Philippe IV au siège d'Ypres, en 1647, ne put être consacré, la ville étant occupée par les Français. A la translation de Gaspar Dubois au siège de Cambrai, il fut consacré évêque d'Anvers en 1654; il mourut le 4 octobre 1676. *Gallia Christiana*, t. V, col. 135-136.

⁸⁷⁾ A l'époque où les évêques de Bois-le-Duc étaient abbés-commendataires de Tongerlo.

⁸⁸⁾ Martin Draeck, abbé de Gembloux, de 1651 à 1667.

7 Novembris, lecta fuit in Statibus epistola Episcopi Iprensis ⁸⁹⁾ ad Abbatem S. Michaelis quibus ipsum nomine Archiducis urgebat ad solvendum 6 millia florenorum, sub pretextu quod illa promississet, alias nisi solveret, minabatur quod gravandus esset pane abbatiali, et rogati Status quid desuper agendum esset, unanimiter responderunt quod in eventum quo dictus Abbas ulterius urgeretur, quod omnes simul ejus causam defendere deberent, eo quod impositio pretensi panis abbatialis ⁹⁰⁾ repugnaret privilegiis primi Status.

8 Novembris, prescripti deputati fecerunt relationem ejus quod egerant apud Archiducem.

9 Novembris, duo primi Status resolverunt quod super prescripta nova instantia super subsidio 800 millium florenorum nihil favorabilius concludere possent, sed pro tertia vice perstiterunt in sua resolutione de dandis 500 millibus florenorum, et duo centum millia exinde anticiparent etc.

25 Novembris, Status dederunt Cancellario commune scriptum contra impositionem licentarum, quod Cancellarius.

1 Decembris, ad Status retulit ex se ipso, non munitus litteris regiis, et amicabiliter convocavit qui presentes Bruxellae erant,

f° 35. — inter ceteros ego adfui, et retulit dictum scriptum, volens Statibus esse suasor ut quaedam in illo nimis acerbe dicta mutare vellent, quod omnes presentes exploserunt, et idem scriptum ut erat ei reddiderunt, estimabantque Cancellarium hoc ex se non posse facere, etc.

f° 35^{vo}. — A° 1655.

Elapso anno fuerunt consentatae impostae sub consuetis et ordinariis clausulis.

Contigit statim post imponi licentas, etc. ratione cujus duo ultima membra Antwerpiae nullatenus voluerunt consentire in impostis.

In decembri elapso, rogati sunt Status ut clausulam « behalve de derde Staet volghe » vellent revocare, ut sic impostae possent levare, sed resolverunt non esse consensum in impostis, non tantum quia tertius Status non consentiret, sed quia conditio de non gravanda patria sine Statuum consensu, in impositione licentarum esset infracta, etc. — huic congregationi non interfui.

⁸⁹⁾ François-Jean de Robles, évêque d'Ypres, de 1654 à 1659.

⁹⁰⁾ Le pain d'abbaye était une grâce en vertu de laquelle une abbaye était chargée de l'alimentation d'une personne déterminée. Au XVII^e siècle on taxe le pain d'abbaye à une somme d'argent. POULLET, o. c., t. II, n. 727.

4 Februarii, facta fuit per Cancellarium nova instantia ut Status revocarent clausulam « behalve de derde Staet volghen » et super conditione non gravandi patriam, dixit illam debere intelligi de oneribus plattae patriae, non autem de onere commercii, etc.

Item petiit novum subsidium 800 millium pro educendo milite in campum.

5 Februarii, omnes tres Status unanimi consensu perstiterunt et resolverunt nullum esse consensum in impostis, ratione impositionis licentiarum, illasque abrogandas antequam consensus daretur, eo quod perditio commercii esset perditio animae ipsius patriae, ad cujus demonstrationem hodie et heri lecta fuit deductio super promotione et defectu commercii.

Item fuerunt delegati ad Archiducem pro exponendis concussionibus patriae, etc. ex primo Statu, Abbas S. Bernardi ; ex secundo Statu, marchio de Jauche, ex tertio Statu, burgimagister Lovaniensis ⁹¹⁾).

Item fecit suum introitum et iuramentum P. Kinscott, tamquam Baro de Rivieren, Jette, etc. ⁹²⁾, sed quia erat Commissarius Finantiarum, admissus fuit sub ea conditione quod non interesset deliberationibus Statuum quamdiu esset in ministerio Finantiarum.

fo 36. — 6 Februarii, coram Cancellario lecta fuit et aperta hesternae resolutio Statuum — sequentibus diebus nihil peculiarie actum usque ad 12 Februarii, in qua Cancellarius iteratam et secundam fecit instantiam ut duo primi Status vellent revocare suam clausulam « behoudelijk den derde Staet volghen » etc., et non miscere consensum impostarum cum licentis, etc.

Sed eodem die, Status perstiterunt in sua resolutione nuper capta.

13 Februarii, dicta eorum resolutio lecta fuit coram Cancellario.

23 Februarii, lecta fuit epistola Archiducis ad duos primos Status quibus de illis querebatur, et rogabat ut solita diligentia res patriae promoverent, et agerent ut impostae levarentur, quod in licentis etc. novam moderationem fecisset et plus facere non posset sine lesione regiae potestatis, ad quam huc usque acta referre cogeretur, nisi Status invigilarent, etc. Et haec epistola serviebat loco novae instantiae.

Status resolverunt persistendum in nuperis resolutionibus, et

⁹¹⁾ François de Saint-Victor, seigneur de Bommelette.

⁹²⁾ Note 26.

novo scripto dictae epistolae respondendum esse, tradendumque Cancellario. — Item lecta fuit epistola civitatis Antwerpiensis, qua Status rogabant quatenus persisterent se juvare et agere ut licentiae abolerentur.

17 Martii, iterum Status per Graffiarium etc. conscripti, deliberarunt utrum plures instantias deberent facere pro abolitione licentiarum in eventum quo super ultimis et sepius iteratis remonstrationibus sepius factis, non abolerentur ? et resolverunt plures faciendas non esse, sed in hoc eventu tantum debere fieri protestationem quod futurorum forte malorum Status accusari non possent, eo quod omnia possibilia fecissent.

18 Martii, Graffiarus retulit se adfuisse tam Presidi, quam Comiti Fuensaldagna et Archiduci, et responsum accepisse quod sine assensu Regis Hispaniae licentas amovere non possent, eo quod honoris illius interesset, et quod desuper in Hispaniam

f^o 36^{vo}. — scripsissent. Qua audita resolutione, Status perstiterunt in sua resolutione hesternae die capta, et quisque ad propria regressus est.

7 Maii, proposita fuit nova instantia pro consensu in impostis quorum tempus medii anni jam in maio expirabat, et petitae fuerant impostae pro termino inchoando prima junii.

Item facta fuit nova instantia pro subsidio 800 millium florenorum pro educendo milite in campum.

[In margine : Episcopus Antwerpiensis qualiter intrat Status].

Et quia ex parte Regis etiam vocatus erat ad congregationem Statuum Rmus Episcopus Capello, ei juxta resolutionem in Statibus quondam datam, indicatum fuit per Graffiarium quod illum non aliter intenderent admittere quam ut membrum primi Status et ut possidens partem bonorum ecclesiae S. Bernardi, pro quibus solum posset loqui et non pro aliis quae subjacent secundo et tertio Statui.

Sed quia episcopus illam limitationem nolebat admittere, rogatum fuit a Statibus quidnam ulterius judicaretur agendum, qui responderunt formulam protestationis super ejus introitu faciendam et prelegendam esse, forte quod illi acquiesceret, et ad juramentum tunc admittendum.

8 Maii, facta relatione per Graffiarium quod episcopus nec illi protestationi acquiesceret, resolutum fuit illam protestationem veritatem continere et aliter admitti non posse.

Item super nova instantia pro impostis, resolutum fuit se aliter

consentire non posse quam pridie fecissent, nec plene consentire nisi licentae abrogarentur.

Et super petitione impostarum inchoandarum 1^o junii, consenserunt duo primi Status in illas sub conditioe quod licentae abrogarentur et non aliter.

10 et 11 Maii, consultatum fuit super petitione subsidii 800 millium florenorum, sed nihil conclusum eo quod duo primi Status minime concordarent.

f^o 37. — Item denuo conclusum fuit Episcopum Antwerpiensem non esse admittendum ad congregationem Statuum, nisi sub declaratione quod intraret titulo possessionis certae partis bonorum abbatiae S. Bernardi, pro quibus immediate et directe loqueretur ; idque magis faciendum censebant quia videbatur episcopus velle intrare titulo episcopatus, et loqui pro suo capitulo, etc.

12 Maii, resolutum fuit et consensum ex parte duorum Statuum subsidium 400 millium florenorum, sub conditione quod licentae abolerentur et non levarentur via preciarum sed alia via adinvenienda post abolitione licentarum, et quod cessaret requisitio curruum et granorum facta a rusticis, etc.

Item lecta et exhibita fuit acta, qua aula autorisabat officiatos plattae patriae ad levandos 12 mille saccos granorum et 80 currus pro servitio sex mensium, idque via precariae quam Status summe improbabant, et totum Statum subvertere clamabant, unde et hunc modum gravandi patriam tolli voluerunt.

13 Maii, coram Cancellario lectae fuerunt prescriptae resolutiones Statuum.

29 Maii, Cancellario infirmante, ad Status generales latae fuerunt per Graffiarium acceptatio Principis super impostis et subsidio predictis, verum quia nulla dabatur satisfactio conditionibus in consensu Statuum apposis, notanter de abolitione licentarum, unanimi omnium consensu, resolutum fuit, non esse consensum in impostis, neque in subsidio predicto ; et Status se dissolverunt ac domum quisque rediit.

22 Junii, Cancellarius attulit gallicam epistolam Archiducis ad Status qua postulabat ut, relicta controversia licentarum, propter exercitus necessitatem resolverent se pro ferendo et solvendo subsidio nuper petito. Status primo questi sunt illam instantiam non debito modo fieri per epistolam, et presertim gallicam, sed more ordinario flandrice debere fieri : resolverunt se ob juramentum suum et patriae conservationem nullatenus permittere posse licentas, et sine abro-

gatione illarum, nullum subsidium pecuniarum sperari posse ; et quia Status calumniabantur, quod ad nihil

f^o 37^{vo}. — vellent intelligere, obtulerunt se ad respondendum coram iudice competente de jure licentarum, an rex illas imperare possit, sed ante omnia cursum licentarum suspendi debere, et patriam seu commercium restitui in pristino suo statu juxta patriae privilegia, et antequam hoc fieret in jure se sistere non debere ; quam spoliatus ante omnia deberet restitui, etc.

23 Junii, valde controversum fuit utrum in judicio super dicto pretenso jure Regis de imponendis licentis respondere deberemus, et resolutum fuit quod sic, modo prius licentiae suspenderentur, etc. ut supra.

Et quod hactenus visum fuit Status jus recusasse, hoc intelligi, se noluisse in judicio active agere ut licentiae abolirentur, quod nec modo volebant, sed illis suspensis, si in judicio citarentur, se responsuros etc.

Post meridiem dicta resolutio coram Cancellario lecta et aperta fuit ; et rogatus ut abolirentur executiones concessae per Consilium Brabantiae pro solutione granorum et curruum indebite petitorum etc.

27 Julii, fuerunt apertae opiniones civitatum super subsidio 800 millium florenorum in septembri elapso petito, et aliqua **membra** civitatum conformaverunt se cum Prelatis et Nobilibus sub conditione quod licentiae abolirentur, et non aliter, alia membra noluerunt opinari, nisi prius licentiae abolitae essent ; Prelati autem et Nobiles consenserunt 500 millia florenorum.

Item lecta fuit epistola Archiducis qua respondebat Statibus qui ei conquesti erant quod in vigilia S. Joannis Baptistae super utroque ostio cubiculorum Status, affixae fuissent schedae magni characteris « dese camer is ter huren ».

28 Julii, actum de materia licentarum et resolutum ut per requestam Archiduci indicaretur mala inde jam orta et oritura.

29 Julii, lecta fuit dicta requesta Archiduci exhibenda, item nonnullae declarationes plebis Antwerpiensis, et res se paulatim videbantur disponere ad seditionem, ad eum fere

f^o 38. — modum quo ante tempora Ducis Albani ceperant, nam clamare incipiebat plebs Antwerpiensis, quando privilegia ei non servarentur, non teneri ad obedientiam Regi, tamquam Duci Brabantiae, et quod nec ob metum aut aliud quidpiam relinquerent defensionem suorum privilegiorum etc. Hanc ultimam congregationem, dictum fuit illos de Consilio Status suspectam habuisse, quia

per litteras regias instituta non fuerant, et aliquam forte conspirationem suspicabantur.

Deinde res patriae valde adversae successerunt ⁹³⁾, et Francis capto Landriaco, deinde Condato ac S. Gisleno, totam fere Hannoniā devastavit, et illi de Consilio Status, sicuti in tempore verano elapso, absque recognitione Statuum, mandaverunt pagis, ut 150 currus prestarent et 12 millia saccorum grani, ita in his turbis, Statibus non agnitis, ordinaverunt villicis ut prestarent cuerelings, qui obediētes, ad aliquot millia comparuerunt, quosdam in fortificatione civitatis Bruxellensis applicuerunt, et post duos aut tres septimanas, omnes domum remiserunt, nullo fructu prestito.

Deinde per aliquos consiliarios Consilii Brabantiae, Statibus etiam non agnitis, curarunt levare decimum virum in omnibus pagis ut parati essent ad expeditionem cum vocarentur.

Inter has infractiones privilegiorum patriae, Status tandem per litteras regias convocati fuere, et

2 Octobris, Cancellarius petiit ut ultimum subsidium 400 millium, quod non fuerat expeditum propter appositionem conditionis licentiarum, pure et libere consentiretur, et adhuc alia 400 millia consentirentur propter imminentem expeditionem necessarie faciendam pro recuperatione Condati et S. Gisleni ; etc. Et quia a deputatis previe nonnullae difficultates per libellum supplicem fuerant expositae, Archidux in apostilla addiderat se ideo curasse reconvocari Status, ut illas et alias terminarent, etc. quod verbum gallice « Reiunction » notatum fuit, ac si ante Status rejecti et nunc iterum de novo erecti essent.

Hoc die nihil resolutum fuit esto post meridiem etiam congregati fuerint sed tantum altercatum super difficultatibus utrique occurrentibus.

3 Octobris, D. Wissenberck ⁹⁴⁾ creatus Baro de Pellenbergh fecit suum iuramentum et introitum in Statibus, etc.

f^o 38^{vo}. — 3 Octobris mane et post meridiem Status congregati fuere, sed adhuc nihil resolutum.

4 Octobris, mane conclusum fuit per duos primos Status, et

⁹³⁾ L'année 1655 fut désastreuse. Turenne s'empare successivement de Landrecies, de Condé, de S.-Ghislain. — Le roi Philippe IV déclara la guerre à l'Angleterre. — Le comte de Fuensaldaña fut rappelé à Madrid. L'archiduc Léopold put rentrer en Autriche. PIRENNE, o. c., t. V, p. 11.

⁹⁴⁾ Jean de Wissenkerke fut créé baron de Pellenberg, le 11 juin 1655. *Théâtre de la Noblesse du Brabant*, p. 44.

resolutum nihil consentiri posse, quia nulla apparentia erat inveniendi pecunias durantibus licentibus.

Item quod si licentae abolirentur aut sub conditione eas abolendi, consenserunt in totam petitam summam, scilicet 800 millium florenorum, et prestandi per anticipationem propter summam patriae necessitatem et ob recuperationem locorum amissorum, 300 mille florenos.

5 Octobris, opinionem in scripto formaverunt, et resolverunt non deliberare qua via, modo aut pede dictum subsidium reperirent, nisi prius habita provisionali acta acceptationis.

6 Octobris, dicta opinio et consensus coram Cancellario lectus et apertus fuit.

16 Octobris, Cancellarius attulit actam acceptationis, in qua Status rogabantur ut appositas condiciones dissimulare vellent, et quia licentae tam cito deponi seu aboliri non possent, interim quo desuper ageretur, propter instantem necessitatem anticipare vellent 200 millia florenorum.

17 Octobris, fuit dominica.

18 Octobris, per duos primos Status fuit resolutum dictam actam acceptationis nullatenus admitti posse, nec ullo modo expedire ut illa communicaretur civitatibus, unde resolutum fuit ut deputarentur ad Archiducem qui cum libello supplici peterent quatenus licentae abolirentur, alias non posse per Status succurri patriae, et protestarentur in eventum quod licentae non abolirentur futurae perditionis patriae reos illos futuros qui licentias manutenere volebant, nullo modo vero duos primos Status, qui omni modo succurrere desiderant patriae, sed per manutentionem licentarum impossibilitantur.

Deputati fuere Abbas S. Bernardi et Baro de Goijck ⁹⁵⁾.

19 Octobris, dicta resolutio coram Cancellario lecta et aperta fuit.

8 Novembris, lecta fuit requesta deputatorum Statuum ad Archiducem, qua exponebant ex ultima Archiducis epistola, in qua dixerat « en séparant cette assemblée » nonnullos existimasse Status Brabantiae, ita dissolutos esse, ut amplius non forent congregandi,

f^o 39. — petebantque num illa foret intentio Archiducis; respondit non esse, sed ut congregarentur pro terminandis difficultatibus in requesta mentionatis, et non dissolverentur sine previa cognitione

⁹⁵⁾ Note 22.

Archiducis. Et vi hujus apostillae, Graffarius Statuum ordines ex jussu deputatorum convocavit.

Cancellarius, privato nomine, comparuit, et ursit ut solverentur interesse reditus Ducis Lotaringi, quem habebat super impostas vini, ascendens ad 13 mille florenos, quod valde urgebatur ab Archiduce, et quia Dux Lotaringus libellum desuper Consilio Brabantiae exhibuerat, aiebat, quod justitiam suspendere aut recusare non posset.

Status oretenus responderunt sibi esse impossibile, et in illa impossibilitate constitui justitiae denegatione, eo quod subsidium elapsi anni 400 millium florenorum etc. non expediretur, licentiae non abrogarentur etc., et quia Cancellarius urgebat justitiam vicissim illam, nos risimus, et amplius nihil habuit.

Aliquot sequentibus diebus super illis et aliis nonnullis difficultatibus consultatum fuit.

In mense octobri et novembri, iterum per aliquot deputatos ex Consilio Brabantiae, aulici per patriam ruralem Brabantiae curaverunt cogi decimum virum, specietenus, ut preferebant ad recuperandum Condatum et S. Gislenum, et ad solutionem officialium qui illos ducerent, per Cancellarium Brabantiae emiservunt actam qua per universam Brabantiam, facta repartitione super omnia bona quantumcumque exempta et hactenus a talliis libera aut amortisata, colligerentur 25 millia florenorum, sed dum hoc executioni committere aut non possent, vel non auderent, loco decimi viri curaverunt per officiales seu maieros supremos colligi 4000 virorum juxta proportionem pedis precariarum, quibus a pagis solveretur, et ductores illorum, quisque pro 10 viris reputaretur, etc.⁹⁶⁾

Et circa finem novembris illos eduxerunt, et cum pervenissent usque Hallas in initio decembris, re nulla attentata, illos remiserunt, uti fecerant in augusto.

f° 39^{vo}. — In fine novembris, Status congregati fuere, sed non interfui ; et tunc solemnem deputationem fecerunt ad singulos consiliarios Consilii Status ut illos informarent plenius de abusibus et infractionibus privilegiorum.

Iterum ergo quia tunc pauci fuerant, per Graffarium conscripti fuerunt in

10 Decembris, et iterum resumpta fuit difficultas concernens

⁹⁶⁾ En juillet, l'armée espagnole força Turenne à lever le siège de Valenciennes et à se replier sur Le Quesnoy, mais elle n'osa le poursuivre et se borna à reprendre Condé; ce succès fut sans lendemain. PIRENNE, o. c., t. V, p. 12.

thesaurarium Statuum, quod ille foret in periculo arrestationis ob aes alienum nomine Statuum contractum, et Status succurrere non possent, nisi expedita publicatione Antwerpiae super oneratione vini in 24 stuferos in amam, et ut referebatur, videbatur Consilium Status illam publicationem nolle urgere, nec Status Brabantiae e suis debitis et difficultatibus exonerare, quia nolebant deserere suam pretensionem de abolendis licentis.

Ideoque ex unoquoque Statu iterum deputati fuerunt ad Archiducem ut remonstrarent adhuc semel omnes difficultates, dicerentque Regem juvari non posse, nec Francos repelli, per dissipationem Statuum et ruinam patriae, proinde rogarent, vellet benigne Statibus satisfacere etc.

11 et 12 Decembris, res eadem ventilatae sunt, et deputati sic cum ab Archiduce responsum retulerunt, insuper illis diebus, et

13 Decembris, discussum fuit utrum omnia hucusque pro privilegiis contra licentias per Status acta, communicanda forent tertio Statui, hoc est plebi necne; et quia inde timebatur quod plebs in seditionem verti posset, nihil desuper conclusum fuit, et quia quotidie privilegia infringebantur, ex eo quod Status persisterent contra licentias, discussum fuit utrum contra illas via juris procederetur, hoc est active relicto cursu licentiarum, quia pridem resolutum fuerat, quod si in jus vocaremur, et licentiae previe abolerentur, tum nos paratos esse in jus venire, verum quia illa presentatione nihil efficiebatur, licentiae in suo cursu manebant, privilegia undique infringebant, patriam sine intermissione undique gravabant, quaesitum fuit utrum active nobis viam juris contra licentias et Regem agendum esset, et vota discreparunt, pluralitas tamen vocum obtinuit, quod in prioribus resolutionibus insistendum esset, et nova deputatio

f° 40. — ad Archiducem destinata esse ad exponendas quotidianas infractiones privilegiorum, et quod si sic procederetur et Status pessumdarentur, patriam quoque perituram fore et tanto magis dolere se, quod dicatur ministros Regis ad hoc collimare ut privilegia patriae tollerentur, dicentes per hoc maximum Regi servitium futurum.